ANTONII FRANCISCI VEZZOSI

CLER. REGUL.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

IN ARCHIGYMN. ROM. PROFESSORIS

DE LAUDIBUS
LEONIS X.
ORATIO

HABITA EODEM IN ARCHIGYMNASIO

V. ID. FEBRUAR. ANNO cIↃ. IↃcc. LII.





ROMÆ MDCCLII.

EXCUDEBANT NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO . ET . OPTIMO . PRINCIPI

SILVIO . CARDINALI . VALENTI

S. R. E. CAMERARIO

BENEDICTO · XIV· PONT· MAX·

PRINCIPATVS . A . SECRETIS

LITTERARVM. BONARVMQ. ARTIVM. FAVTORI. EXIMIO

ORATIONEM. HANC. ROMANO . IN . LYCEO. HABITAM

V. ID. FEB. ANNO . R. S. CIↃ. IↃCC. LII

NOMINI . AC . DIGNITATI . EIVS . DEVOTVS

OBSEQVENTIS . GRATIQVE . ANIMI . MONIMENTVM

D. D. D.

ANTONIVS . FRANCISCVS . VEZZOSI . CLER. REGVL.
HISTORIÆ . ECCLESIASTICÆ . PROFESSOR



ORATIO

QUÆ me non ſemel a dicendo deterrere alias videbantur, Quirites, erant & locus, ſi quando mihi contigit, majeſtate ampliſſimus; & virorum ad me audiendum frequentia, aut dignitate, aut doctrina ita præſtantium, quibus nil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere intelligebam. Hæc omnia licet ſumma hodie mihi adeſſe conſpiciam; attamen ſi bene recogito, veſtra in honoribus mandandis liberalitate; inter ſacra hæc parentalia, juſte a majoribus noſtris, quotannis ut celebrarentur, inſtituta; Leonis X, Viri inter meæ Gentis primores nobilitate conſpicui, Pontificio Honore ſummi, Litterarum ſplendore eximii, me laudes commemorare debere; parum abeſt, quin divina pene tanti Principis amplitudine, ne me dicendo impediat, vel maxime commovear. Accedit tertium jam evolvi ſeculum, ex quo ſingulis annis ornatiores hujus Athenæi viros, & in dicendo ſummos, argumentum idem tractaſſe conſtat. Quid eſt, Deus immortalis, aut inveniri poterit, quod ſingularem adeo dignitatem ad-

æquet; quod majeſtati illius conveniat? Aut quid ego proferam, quod ab aliis non ſemel, non ornate, non diſerte ſit celebratum? Num ad juventam illius reſpiciens, præſtantiſſimos Inſtitutores vobis memoro, a quibus ille prima hauſit humanioris diſciplinæ rudimenta, veluti firmiſſimum altioris ædificii fundamentum? Num corporis viribus firmiorem illam ætatem, quæ in eo flagrabat inrequieto pene ac inſatiabili ſciendi ardore, non ludicra quidem & inania; ſed quæ mentem rerum humanarum divinarumque cognitione percommode imbuunt ac erudiunt? De illius fortaſſe Pontificatu vobiſcum agam; aut de Viris illius ætatis doctiſſimis, quos Leo X aut muneribus auxit, aut dignitatibus ornavit? Agam de ſtudio illo, quo noſtrum hunc locum, certam litterarum ſedem, jacentem erexit ac ſplendori reſtituit? Ea ſane omnia, Quirites, ſinceræ laudis argumenta ſunt, & me ad dicendum alliciunt. Quod eadem vel centies enarrata ex hoc loco jam ſint, nec ornatius, quam alii præſtiterint, dici a me poſſint, proculdubio me deterreret, niſi animadverterem Leonem X tantæ virtutis virum fuiſſe, quæ millies licet commendata nuſquam reſpuit novitatis ornamentum: de cujus laude aut difficilius eſſe exitum quam principium invenire; aut in ea non tam copiæ quam modi habendam eſſe rationem. Leonis ego ſapientiam dicerem ad inſtar pulcherrimæ illius imaginis, quæ nube ſoli adverſa excipitur, quæque Iris vocatur; cujus, licet id non adſe-

adsequatur vulgus indoctum, doctis tamen constat tot esse formas inter se distinctas, quot sunt contuentium oculi diversi. Quare præjudicata hac animi opinione, veluti anticipatione quadam munitus, dicere incipiam. Et si Leonem X. alias demirati estis, Quirites, ut eximium litterarum cultorem; ut scientiarum, ac liberalium quarumcumque artium fautorem & propagatorem; quum litteræ non quavis ratione & via persequi debeant, illum demiremini velim hodierna die, ea utentem in illis excolendis ingenii vi, eoque mentis acumine, quibus earum bono maxime consulitur. Et id quidem erit orationis hujusce meæ argumentum.

Antequam tamen ad eam orationem venio, quæ est de recta in litterarum cultu ratione, illud in memoriam revocemus oportet, non omnia ingenia ad scientiarum doctrinas a natura esse comparata. Sive id oriatur, quod inter animos ipsos distinctionem ac discrimen aliquod illa reposuerit, quo dum alii abstrusiores disputationes facili ratione percipiunt; alii nec ad faciliores tractandum idonei ullo modo sint; uti e Philosophis crediderunt aliqui, quorum quidem ab animi mei sententia aliena est opinio. Sive, ut verisimilius existimo, quod non solum rudi & inculta quadam educatione, quam ad recte cogitandum plurimum valere nulli dissimulare debemus: sed ipsa etiam humani corporis intimiori compage, quæ nullis contradicentibus Philosophorum sententiis, tam-

diu arctum cum cogitandi vi nexum servet necesse est, quamdiu mortalem hanc vitam vivimus; plurimi ad eas assequendas rerum notiones, ordines & comparationes, quæ omnigenas doctinas constituunt, impares omnino reddantur. Illud porro hac in re tale est, de quo experimenta quotidiana nos dubitare non sinunt: homines nimirum inveniri etiam sedulos ac diligentes, qui in litteris operam perdunt. Et quidem duplici modo: vel quod hebetes prorsus ad intelligendum via ipsis præclusa videatur: quibus optimo consilio auctor erat eximium illud Florentiæ ornamentum Galilæus, ut a ludo & schola ad officinas & ruris opera se conferrent. Vel quod multa quidem percipiant, de quibus tamen rectum deinde efformare judicium non queant. Horum ego, Quirites, commemorare plurimos possem tum veteris, tum hujus nostræ ætatis viros; nisi satius ducerem eos nominatim non proferre, ne eorum alicui jnvidiam conflare heic me velle videar. Illi profecto omnes eo destituuntur ingenii acumine, quod veluti fulgentissima lux quædam rebus affusa, splendorem omnem illis conciliat. Ea scientiarum ac liberalium artium splendentissima luce præstitisse, & quidem mirificum in modum, Johannem Medices, qui Pontifex deinde Leo X vocatus est, perspicue demonstrant; & ea, qua ipse pollebat, rerum cognitio; & studium, quo alios ad litteras hortabatur. Quæ duo singillatim parumper expendere ab orationis instituto alienum non esse dignoscetis.

Et

Et quidem, quod eximiam attinet Johannis Medices rerum cognitionem, ſcientiarumque pene omnium vim, quod nam erit eloquentiæ flumen, quæ tanta dicendi aut ſcribendi copia, quæ illam non dicam exornare, ſed enarrare poſſit? Mitto heic dicere de graviſſimo eorum teſtimonio, qui res ab eo geſtas ſcripto nobis tranſmiſere. Quo ſane teſtimonio narratur Johannem noſtrum ita natum, ita altum atque educatum, ita denique eruditum ac inſtitutum fuiſſe, ut inter Florentinæ Reipublicæ delicias nil potius, nil ornatius, nil perfectius ſua ætate haberetur. Nemini ille erat ingenio ſecundus, non æqualibus induſtria, non præceptoribus litteratura, non gravitate ſenibus. Mitto illam animi amplitudinem, quæ nec patrio, nec veteris Latii contenta ſermone, Orientalium, Græcorum præſertim linguam familiarem ſibi reddidit. Idque quod puer adhuc intellexerit, ſine eo adjumento veram germanamque doctrinam intimius conſequi non poſſe. Quod tenera adhuc in ætate incredibili quadam mentis perſpicacitate perviderit, virorum retro actis temporibus præſtantium mores, indolem, artes, ingenia, eloquentiam, philoſophiam, liberales diſciplinas, virtutes omnes, nullibi melius, quam in ipſis illorum fontibus contemplari. Hæc inquam omnia prætermitto, quæ memorare nec injucundum eſſet, nec ad inſignem commendationis laudem inutile. Oportet ſiquidem ſupra communem hominum ſortem verſari illum, qui ipſum juventæ florem hiſce in ſtudiis impendat.

Verum date operam Quirites, attendite quo ego e re mea argumento utar. Johannem Medices ad litteras esse natum uno veluti ore tradunt disertissimi vitæ illius scriptores; nec est qui repugnet. Norunt præterea omnes ipsum obtinuisse magistros atque institutores viros suæ ætatis doctissimos: quos alere, omnique liberalitatis officio prosequi inter Florentinos cives Genti Mediceæ proprium perpetuo fuit. Habuit Gentilem illum doctrinis omnibus ornatissimum virum, qui Arretii Civitatis meæ Episcopus deinde fuit. Habuit Urbanum Valerianum in Orientalium linguis exercitatissimum: habuit Demetrium Chalcocondylam & Petrum Ægeatem Græcorum præstantissimos: habuit Angelum Politianum singulare illud sui temporis decus. Quam ob rem, quum tales ac tanti fuerint Johannis Medices præceptores, cogitate, animis perpendite, Quirites, quantum inde ingenium natura acre acceperit incrementi, acuminis quantum, quantum sollertiæ? Videmus homines nullis litterarum studiis imbutos, sola litteratorum familiaritate erudiri. Videmus Bibliopolas quod libros in quæstum conferant, quod sæpe eruditos viros suis in officinis de litteris inter se colloquentes audiunt, aliquam sibi eruditionis veluti speciem comparare. Servi etiam & juvenes in tonstrinis, si herum nanciscantur doctum, doctrinæ aliquid decerpunt. Quid igitur erit de juvene dicendum, qui nobilissimo ingenio est præditus, qui præ litteris nil depereat, a doctissimis

ctiſſimis viris inſtituto, illis familiariſſime utente, qui eorum eruditionem, doctrinam æmuletur? Quanta evaſura eſt illius mentis acies ac perſpicacia; quale judicium, quæ in negotiis elegantia, quæ dexteritas?

Dum Johannem Medices cogito, Auditores, illum Florentiæ contueri mihi videor medium inter viros doctiſſimos Demetrium Chalcocondylam, Laſcarem, Michaelem Marullum, Thomam Linacrum, Politianum, de Latinorum Græcorumque eloquentia & poeſi eleganter ac docte diſſerentem. Aut de Platonis doctrina cum Marſilio Ficino, & Pico Mirandulano. Aut de veterum documentis & moribus cum Georgio Veſpuccio, cum Chriſtophoro Landino, cum Hieronymo Bieniviennio. Hi certe omnes, & propriis & aliorum ſcriptis celebratiſſimi, erant tunc temporis in ea civitate non ſolo Civium ſplendore & potentia, non ſolis opibus; ſed & litteris florentiſſima. Iidem frequentiſſimi mediceam domum adibant, ubi ipſis erat Academia, erat Porticus, erat patronus amantiſſimus ac liberaliſſimus Laurentius Johannis pater. Erat & Johannes ipſe, elegantiſſimus juvenis; cui nil jucundius aut antiquius, quam cum illis converſari, colloqui, vitam pene omnem comiter ac peramanter eorum in conſuetudine ducere. Hæc non cogitantis animi ad arbitrium confingi comperto iis eſt, qui illorum temporum tenent hiſtoriam. Si autem, uti cogitabam ego, illa evenere; dubitare quiſnam poterit, rectam, ordi-

ordinatam, prudentemque litteris operam navasse illum, qui viros præ ceteris doctissimos, institutores, amicos, familiares habuerit?

Nullus dubito, quin fateantur omnes, illud esse recte ordinateque bonas artes colentis & munus præcipuum, & simul politioris ingenii argumentum; ut pro temporum ac officiorum discrimine & varietate ad ea se conferat studia, quæ illis magis conveniant. Quod si ita se habet: agite jam auditores. Nostis Johannem Medices purpura & sacro Patrum Romanæ Sedis Collegio ab Innocentio Pontifice fuisse donatum. Nostis præterea juvenem purpura nitentem Pisas ivisse, ut in celebratissimo illo Lyceo, quo Laurentius pater peritissimos sacrarum civiliumque legum cultores vocaverat, sacri civilisque juris scientiam addisceret. Quam igitur ob caussam arbitrabimini Johannem id consilii cœpisse? Ad illud usque tempus se exercuerat plurimum in Poeticis, plurimum in Rhetoricis: Philosophorum dogmata quæritaverat. Unde ergo tanta ac tam subita in adolescente mutatio, ut jucundissimis illis disciplinis, quæ adolescentiæ aliis dulciores & suaviores videntur, sepositis, ad severiorem legum notitiam animum adjungat? Ejus rei caussam quærenti mihi illud occurrit, quod paullo antea innuebam: recte nimirum de litteris statuentis singulare esse, ut officiorum naturam & conditiones sectetur. Ea propter quum sollertissimus juvenis in summorum Antistitum numerum se cooptatum vidisset; intelle-

xit,

xit, opinor, evocari se ad gubernandum & regendum una cum Petri Successore Christi Ecclesiam: intellexit tale sibi munus & officium offerri, quod impleri pro merito sine legum notitia nequeat. O miram in juvene prudentiam; o singulare mentis acumen! Perge igitur Cardinalis amplissime; exequere quod decrevisti. Pisas pete: Athenæum illud vel tui caussa fortunatissimum rarissimo exorna atque inlustra exemplo, quo posteritati constet non dedecere hominem nobilitate, opibus, summa pollentem dignitate, & litteris vacare, aut aliis publica in Academia in disciplinam se tradere.

Satis fortasse, si non pro rei merito, pro temporis ad dicendum brevitate, hactenus est a me tractatum de Leonis X in doctrinis addiscendis præstantia. Ne igitur longius, quam par est, protrahatur oratio, eo me convertam, Quirites, ut palam fiat quantum ille & in aliis ad litterarum studia alliciendis valuerit. Constat rei hujus, quemadmodum & civilibus in negotiis quibuscumque evenit; imo in ipsa tuenda hominum societate, vim maximam constitui in ea morum elegantia & comitate, qua aliquos præ aliis humaniores dicimus. Severiores, tetricisque utentes moribus, perinde ac morosos homines refugimus: & ea, quæ illis inest, virtute licet singulari, quasi, suavitate ac lenitate, ut meliori sui parte destituta, pulchritudinem omnem amiserit, neque allici nos, neque moveri sentimus. Contra, eos facile sequimur, eorumque instituta libenter amplectimur,

quos

quos benigniores experimur ac liberaliores. Utinam hoc in loco, in quo miram amplissimi Cardinalis morum suavitatem respicit oratio, frequens adesset lectissima illa juventus; adessent Pisarum Lycei doctores atque moderatores illi, quibus ea uti datum Dei munere atque concessum fuit. Ipsi sane, dum ego vereor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego cogitans sentio; ipsi inquam vobis testarentur Johannem Medices moribus suavissimis, elegantia pene incredibili omnes ad litterarum cultum inflammasse. Narrarent tunc temporis cogitari nil potuisse eo Cardinali blandius, nil benignius, nil liberalius. Dicerent quomodo, quam belle, quam comiter juvenis insigni ornatus dignitate omnes ad se invitaret; ad litteras hortaretur; alliceret pollicitationibus; incitaret opibus, gratia, auctoritate.

Profecto ea est oppositarum sibi rerum & contradicentium ratio, ut mutuam aliquando sibi ipsis lucem affundant. Et nebulosa cæli facies nostra sæpe splendentis solis desideria excitat. Ita qualis quantaque fuerit Johannis Medices ad litteras incitandi vis, lubet agnoscere animos ad ea convertendo, quæ ille tunc temporis præstitit, quando non longe a Ravennatium civitate, Julii Pontificis Apocrisarium agens, adversa belli fortuna ab hostibus captus, fuit Mediolanum perductus. Comperto omnibus est, eo in statu ad mœstitiam & mœrorem omnium accommodatissimo, gratia atque huma-

humanitate hostium animos ita lenivisse ..... At Deus immortalis, quid ego dico lenivisse, quando illorum quodammodo naturam suavi præsentiæ urbanitate mutavisse constat! Quos enim experiebatur victoriis elatos, triumpho tumentes, insigni superbientes præda, ita devicit; ut pedibus sibi obvolutos, a se, quem adhuc inter arma vinctum detinebant, veniam ac pacem demisse postulantes respexerit. O miram morum suavitatem! O singulare trophæum! Dignum sane, quo illa potissimum dies ornaretur, in qua ad Petri Sedem evectus Johannes Medices auream Pontificatus accepit coronam. Quid Auditores, quibus verbis, qua dicendi facultate exprimi a me poterit hominis ad litteras incitantis vis? hominis inquam, qui tantum facinus suadere inimicis potuit? Equidem rei difficultate pressus, id tantum pronuncio: quando agitur de arte ad litterarum studia alliciendi, nil potius ea, qua præstabat Leo X, suavi morum elegantia, complecti mente nos posse, aut assequi.

Ad studia litterarum homines incitamur honore proposito, atque fortunæ bonis. Deus enim optimus maximus vitam ita attemperavit nostram, ut dum æternum duraturam quærimus felicitatem, & terrenæ, quæ illius veluti anticipatio quædam reputari meretur, non parum solliciti simus. Honoribus nominis laudem nobis comparamus: fortunæ bona præstant ut decenti cum splendore honorum gradus teneantur. Nec litteræ magno in pre-

pretio haberi queunt ab iis, qui ſuaviſſimam earum dulcedinem antequam experiantur, doctos homines vident a Principe vel Magiſtratu aut inſuper haberi, aut facultatum inopia exagitari. Sane bonorum omnium conſenſione deſipiat oportet, ignorare qui velit, primum diſcendi ardorem in præceptoris nobilitate eſſe conſtitutum. Heic pervidetis, Quirites, quo tendat oratio mea. Loquor de ea Leonis X. liberalitate, qua litteratos homines fovebat. Id commode ut præſtaret, dederat illi genus divitiis ampliſſimum: dedit & Petri Sedes, in quam ille conſentientibus Patrum Comitiis, ſumma majorum veſtrorum gratulatione, Reipublicæ hujus Princeps cooptatus, exemplo ſuo demonſtravit, quam ſcite dixerit Plato beatam fore gentem illam, in qua vir doctus dominaretur. Qualis Leone Pontifice repente facta ſit ampliſſimæ Urbis hujus facies narrant hiſtoriæ documenta: & exinde patet etiam, quod Reipublicæ cujuſvis indoles ea ſit, ut Regis ad exemplum ſe tota componat. A vero igitur non abludam, ſi dixero feliciſſima ea ætate, qua rediiſſe aurea Auguſti ſecula eſt judicatum, præter litteras nil majori in pretio fuiſſe. Heic, Quirites, hac in veſtrum amantiſſima patria, veſtris hiſce in domibus, a Leone X, honoribus, atque uberrimis præmiis allecti, frequentes erant Oratores, Poetæ, Philoſophi: erant, & primo quidem habebantur in loco, quidquid aliqui effutierint dicaces magis quam docti, erant, inquam, & Theologi,

logi, quibus ſuus & ſtetit, & auctus fuit liberalitate ac gratia Pontificis honor.

Atque utinam, Quirites, tantum mihi temporis ad dicendum reſtaret, quo vel curſim nominare poſſem tot Viros, quos, utpote doctrina præſtantes, Leo vel honoribus munificentiſſimis, vel redditibus auxit ampliſſimis. Laudare profecto heic deberem Bembum atque Sadoletum, quos ille ab epiſtolis ſibi conſtituerat. Adjungerem illis Paridem Craſſium, quem ſacris ceremoniis præfici voluit. Ejus generis homines præclariſſimos, quando in ſui familiaritatem adſcivit, muneribuſque donavit; ambigi poſſet, an litteras potius ornare voluerit eximius Pontifex, an ab illis ornari, earumque inclareſcere ſplendore, aut dignitate. Quid ſi eos memorarem etiam viros doctos, quos aut Epiſcopos conſtituit, aut purpura donavit, aut Reipublicæ præfecit muneribus? Certe me dies deficeret, ſi memoria hoc in loco revocaret Bernardum Tarlatum, Trivultium Scaramutia, Dominicum Jacobatium, Laurentium Campegium, Ferdinandum Ponzettum, Thomam de Vio, Ægidium Viterbienſem: Viros omnes litteris ſummos, qui Patrum hujus Urbis ſacrum Senatum ſanctiorem & venerabiliorem ipſis etiam Eccleſiæ hoſtibus reddidere. Verum de illis non agam. Mitto & Scipionem Carteromachum hominem genere Etruſcum, cui in Attici Sermonis peritia Græcos ipſos primas detuliſſe novimus. Mitto Cammillum Portium, quem, Romanam

Ca-

Cathedram ſumma cum laude poſtquam tenuerat, Aprutinæ Eccleſiæ Leo præfecit. Nil dicam de Mutio Aurelio ſingularis ingenii juvene: nil de Philippo Beroaldo Vaticanæ Bibliothecæ præfecto: nil de Marco Muſuro, nil de aliis, quos ob ſingularem, qua pollebant, doctrinam Leo X, ut litteras foveret, præcipuis in Reipublicæ gradibus honorificentiſſime repoſuit.

Eſt tamen, Quirites, quod prætermittere nequeam. Circumſpicite noſtrum hunc locum: cogitate quæ quantaque præſtitit Leo, ut illum jacentem erigeret: erectum ita ornaret ut Paulli Jovii narratione fideli, neque Bononienſi Athenaeo, neque Patavino vel Doctorum præſtantia, vel Auditorum frequentia concedere videretur. Heic Leone imperante jus civile explicabat Hieronymus Buticella, vir gravis inprimis ac celebris. Heic philoſophiam Auguſtinus Sueſſanus; heic medicinam Chriſtophorus Arretinus. Heic Donatus Polius, in quo multæ erant & reconditæ litteræ: heic Celſus Mellinus; heic Thomas Phædrus politioris ingenii homines. Exſtat adhuc, & apud Bembum legitur epiſtola Leonis nomine data, qua ultro exhibitis ducenorum aureorum annuis ſtipendiis Romam evocatus fuit Janus Parrhaſius Coſentinus, ut noſtro hoc in Lyceo liberales diſciplinas, quibus ille inſigniter eminebat, doceret. Proſtant adhuc litteræ ad Muſurum a Leone miſſæ, quibus cura illi demandatur Romam e Græcia adducendi adoleſcentum bonæ indolis, libe-

ralisque ingenii manum; unde latinis græci venustissimi sermonis verus germanusque sensus pateret.

At, quid ego multa congero! Satis argumentorum, rationum satis est a me prolatum, ut quod proposueram, suaderem. Dubitare num possumus Johannem Medices recte, & qua decet via, litteras coluisse? Dubium ne superest an bene, an uberrime suum illis imbuerit animum? An aliquid in eo desiderari de iis potuisse, quibus homines ad litteras incitamur? Nil minus, Quirites. Ambigo potius an dolere debeamus Leonem X e vivis sublatum nos dereliquisse. Sacra hæc funebria ad luctum & mœrorem nos provocant. Verum neque illud mea opinione dolendum. Hominem obiisse humanæ conditionis est: nec, si recte cogitemus, decet omnino Virum virtute eximium diu multumque inter miseros versari mortales; sunt enim sua reddenda laudi præmia. Doleamus potius tot tantisque sinceræ virtutis propositis exemplis adhuc reperiri, aut qui litteras insuper habeant, aut qui eas non recte sequantur. Hac nostra ætate præsertim, qua summi Dei liberalitate Pontifice utimur BENEDICTO XIV. Viro doctissimo: de cujus ingenio, & in litteras amore, quum tot in publicum habeantur luculenta testimonia, quot sunt aut doctrina elegantissimi illius libri; aut præclara pro Reipublicæ bono ab eo jam patrata facinora, præstat silere magis quam pauca proferre.

FINIS.



POTERIT IMPRIMI

Si iis, ad quos pertinet, ita vedebitur.
Clemens Argenvillieres Rector Dep.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Pat. Mag. Sac. Pal. Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Joseph Augustinus Orsi Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Præd.